



10721

DISSERTATIONEM POLITICAM 42.

QVA

1775/40.

MONARCHOMACHI

ET

MACHIAVELLVS

IN CONCORDIAM ADDVCVNTVR

P R A E S I D E

D. CAROLO FERDIN. HOMMELLEO
DOMINO ZWENAVNDORFII, GROSCHETAE ET QVESITII
SERENISS. ELECT. SAX. AVLAE IN REBVS IVSTITIAE CONSILIARIO
ECCLESIAE CATHEDRALIS MARTISEVRG. CAPITVLARI CVRIAE IN
PROVINCIA SVPREMAE ASSESSORE DECRETAL. P. P. COLLEGII
IVRISCONSVLTORVM ORDINARIO ET DECANO PERPETVO
ACADEMIAE LIPSIENSIS CONSILIARIO ET DECEMVIRO

DIE XI IANVARIII MDCCLXXV.

IN AVDITORIO PETRINO

DEFENDET AVCTOR

IOANNES CAROLVS BENNELLE
L I P S I E N S I S .

LIPSIAE

EX OFFICINA BREITKOPFIA.

MONDARCTOMACHI
MACHTAVRIVS
IN CONCORDIA ADYCVTVR

OLMITION TONY HOFTELLO
D. 15. JUNII 1570
D. 15. JUNII 1570
D. 15. JUNII 1570
D. 15. JUNII 1570



V I R O

P L U R I M U M R E V E R E N D O
A M P L I S S I M O

I A C O B O B E N N E L L E

P A T R V O P I E C O L E N D O .

ВЪВЕДЕНІЕ
ОБЪЕМЪ И МѢСТНОСТИ
СЪСТАВЛЯЮЩАЯ

КАТЕГОРИИ СЕЛЕНА
СЪСТАВЛЯЮЩАЯ



VIR
PLURIMUM REVERENDE,
AMPLISSIME,
PATRUE PIECOLENDE

Accipe munusculum, quod pietas gra-
tusque animus Tibi offert incun-
dissimo cum sensu. Jam dudum enim cogi-
taui de ratione, qua fieri posset, ut non tam
verbis, quam factis Tibi dicerem, me Te vene-
rari,

rari, meque beneficiorum, quae amor Tuus
erga me, studiumque felicitatis meae singulare
per aliquot annos contulissent in me Genevae com-
morantem, non esse immemorem. Et utinam
quam saepissime ostendere possim, me esse

NOMINI TUO PLURIMUM
REVERENDO

devotissimum

JOANNEM CAROLUM BENNELLE.



DISSERTATIO POLITICA
Q V A
M O N A R C H O M A C H I
E T
M A C H I A V E L L I V S.
I N C O N C O R D I A M A D D V C V N T V R.



§. I.

In quaestione de ciuitatis natura, studebimus duo euitare Machiavellismi et Monarchomachiae Extrema, ita quidem vt prius, sitne modus et certus finis imperii; populusque nullam plane habeat potestatem aut qualem? investigemus. Primam quidem partem libelli nostri, quae
dispu-

disputabit de natura ciuitatis et imperii, poteramus aut penitus praetermittere, aut lectores ablegare ad juris publici vniuersalis doctores et ad philosophos; attamen quia haec ipsa imperii et ciuitatis accuratio contemplatio aliquam vim habet ad iudicandam rem nobis maxime propositam, atque haec inuestigatio haud parum valet ad cognoscendas alias partes juris publici cum vniuersalis, tum etiam particularis Sacri nostri Romani Imperii, de quo paucula intercalabimus, a prima ciuitatis cognitione ascendendum nobis esse videtur ad sublimiorem quasi et perfectiorem gradum.

§. 2.

Ciuitatem dicimus hominum (familiarum) societatem, quae mandauit alicui (sive vni, sive pluribus) salutis communis curam; ut autem qualis sit haec salus communis, haec populi lex suprema, intelligatur, primum de ciuitatum fine, quaerendum est.

§. 3.

Ciuitates nempe, quae fuerunt, omnes duplicem finem sibi constituisse videntur: quorum primus pertineret ad vim alienam, nempe hostilem arcendam, alter ad felicitatem inter ipsos socios. Quoniam vero non quid

quid via facti in ciuitate euenire soleat quaerimus, sed, quid multitudo appetiisse et sibi proposuisse in committenda cura salutis communis existimandum sit, primo loco hoc indubitatum ponimus, cives sibi regem poscentes praesumi studiosum et amantem libertatis suae. Itaque non potest aliam primario appetiisse, nisi felicitatem illam externam, aduersus vim hostilem (hanc strictissime liceat, appellare externam) eam vero felicitatem, quae est inter suos, quamque liceat nominare internam*), non appetiisse tanquam summum et principalem finem, sed eiusdem curam (cum sine felicitate et pace interna, aut omnino aut saltem satis certo existere non posse videretur externa), tanquam huic conexam tantum per consequens permisisse curatori publico. Profecto enim si cogitatione (nam re ipsa separari nequit, quia felicitas externa sine interna stare non potest) separaueris ciuitatis finem, qui spectat ad internam felicitatem ab eo, qui
ad

*) Ergo felicitatem externam et internam hoc loco aliter dicimus ac fieri solet ab aliis: quippe qui internam referunt ad Ethices felicitatem, externam vero ad pacem et felicitatem iuris naturalis strictè dicti.

B

ad externam, et vtramque inter se comparaueris, internam multo magis aduersari studio libertatis naturalis, quam externam facile apparebit. Fieri enim vix aliter potest, quin, etiamsi iustissime et humanissime imperans gubernet, tamen ciues magna parte libertatis priuentur, libertasque civilis, quam dicunt, sit angustissima. Ex quo multitudinem, cum praesumatur studiosa libertatis, felicitatem internam non tanquam finem primum appetisse, sed tanquam finem, qui alteri cederet (secundarium vocant.) concedendum erit.

§. 4.

Quae vero iura et quam potestatem publicus curator sibi vindicare possit vi mandati sui? in hac re difficillima quaestio. Si curatela publicae salutis ei tradita, is quae habeant ad salutem publicam aliquam vim, non cogitare solum et deliberare, sed etiam, saluti publicae profuturum decernere, (determinare) debet *). Itaque maiestas vulgo sic definitur solet, vt posita dicatur in iure

*) Hinc fit, ut, qui non gaudeant nisi voto deliberatio, in causis publicis, hi Consiliiarii, nequaquam vero Curatores publicae salutis appellandi sint.

iure curandi et decernendi omnia, quae spectant ad felicitatem publicam. Haec in decernendo potissimum posita potestas digna est, quae diligentius consideretur.

§. 5.

Tres intelliguntur modi, quibus curator publicus civitatis commoda curare et determinare potest. Aut suadendo, aut cogendo, aut iubendo. Si suadendo tantum et hortando: tunc civibus relicta est libertas, decreta non exequendi prius, quam ipsis ea probentur. Hoc plane nihil est. Cum enim homines proni sint ad ea, quae suum cuique iudicium et cupido (tot autem fere sunt studia hominum, quot sunt homines) vtpote quos sibi optimos auctores et magistrōs esse opinantur, suadet sequenda, fugienda autem, quae aliena sapientia, etsi prudentissime, suavit; curatoris publici adhortationes aut nullam prorsus, aut minimam vim ad salutem publicam habere facile patet, in primis cum plebs de causis publicis sapienter iudicare nequeat. Sic autem publici curatoris utilissima decreta exitum vix unquam inveniunt. Ergo curator populi, si cum potestate suadendi non accepisset simul alteram decernendi poenam potestatem, frustra illam accepisset, ut videatur insaniisse populus,

pulus, si finem iussisset, media vero ad eum ducentia prohibuisset. Vnde haec suadendi potestas, quippe quae non sufficit consiliis publicis, sola curatori publico tradita fuisse vix existimari potest. Si haec sola translata fuisset, improbare eius consilia ciues, iisque resistere possent. Quid vero inde? Perpetua iurgia et altercationes, propter rationes supra allatas, et, cum alius suae opinioni, alius principi obsecundaturus sit, factiones et bellum omnium contra omnes, hinc autem mors ciuitatis. Quapropter praeter consulendi potestatem, etiam alteram illam iubendi princeps a populo accepisse est censendus, nempe potestatem cogendi, cui resistere non liceat, immo et puniendi. Ergo curatori publico potestas cum imperio curandae et decernendae salutis publicae tradita fuit a multitudine: quippe quae non praesumitur suam simul et voluisse et noluisse salutem.

§. 6.

Quaeritur: num curator publicus proprio, an populi nomine curet? Fieri ab eo tum proprio, tum populi nomine, defendere possumus. Proprio nomine sic imperat, vt nemo sociorum iudicare possit cum arrogatione potestatis de factis regentis, siue is in causis publi-

publicis, siue in ciuilibus, priuatisque temere quid perpetraverit. Alieno nempe populi nomine sic imperat, vt populus vniuersus iudicare possit de eiusdem actionibus imperii, eique sua maiestate abutenti resistere possit: idemque multo magis, cum sibi arrogat potestatem, quae non continetur in mandato ipsi dato, nempe in legibus fundamentalibus.

§. 7.

Imperans vero, nisi nomine proprio gubernat rempublicam, non ipse tenet imperium ciuile, sed populus: ergo populus imperat. Populus vero vniuersus cum imperare non possit, opus est principe, magistratibus et collegiis, quae imperant non suo, sed populi nomine. Fieri autem non potest, ut populus, qua singuli imperet. Nam si hoc poneremus, nullus amplius adesset subditus: Ergo nullus amplius imperans. Societas inaequalis si perit, perit eiusdem effectus, qui est in salute communi et in felicitatis publicae saltem per minimum temporis spatium constantia. Ergo multitudo, cum mandat, reseruata sibi potestate iudiciaria, quae proprie dicitur imperium, vult et simul non vult salutem communem, atque adeo vt sit stultissima, necesse est. Ergo imperat curator publi-

publicus proprio nomine: Ergo tenet imperium, cui maiestas inest. (summum imperium vocant.) Itaque nos quidem triplicem esse putamus modum et rationem nomine populi alieno rempublicam gubernandi. Primus. modus est is, quo fit, vt imperans pareat populo; secundus, quo omnes et singuli actus ab imperante suscepti debent accedente populi voluntate confirmari; tertius denique, quo efficitur, vt imperanti potestate sua ad multitudinis perniciem abutenti possit sine imperio refitti.

§. 8.

Ante vero quam progrediamur ad reliqua, illud cuius in §. 4. mentionem fecimus, curatius explicare, deinde quaedam de limitato imperio vniuerso annotare, tandem ad formam Imperii Rom. Germ. paullisper digredi placet.

§. 9.

Quaeritur ergo, num principi, cui salus publica concredita mandataque fuit, etiam media, quibus ad illum deueniatur concredita fuisse existimare debeamus? quod nemo facile negauerit. Nam si quid cupias, quod adipisci non possis sine alia re, per quam illuc deuenias, hanc quoque non potes nolle. Vnde si principi curam
publicae

publicae salutis mandes, deneges autem ei modum, quo illam procuraturus sit, rem omnino stultam te instituisse, experieris. Nam ut recte ait HOBBSIVS: Ius ad finem aliuci frustra tribuitur, cui ius ad Media denegatur. His ergo positis et concessis, recte dici potest imperantem cum potestate salutem publicam curandi accepisse etiam potestatem decernendae quaestionis Quomodo?

§. 10.

Quoties principi non licet pro lubitu definire modum et rationem, quin quorundam saltem iudicium et voluntatem audire debeat: Coimperantium notio elucescit, qua posita ei, qui dicitur imperare, soli non potest tribui imperium; autem e contrario, si non sequi debet imperans voluntatem coimperantium sed tantum respicere pactorum fundamentalium sanctitatem, tunc *limitatum* imperium locum habere arbitramur.

§. 11.

Statuimus imperium civile, quod careat aut vno, aut pluribus maiestaticis iuribus, nullum prorsus esse imperium. Et profecto sic res se habet. Imperium etenim siue sit penes vnum siue penes plures, et, si est penes plures, siue iunctim, siue separatim teneant, pertinet

tinet ad omnia ea iura maiestatica, quae doctoribus vocari solent essentialia. Caetera autem iura, quae doctoribus vocantur accidentalia, quod attinet, horum nullum sibi arrogare potest imperans vi mandati generalis curatellae publicae, sed vi specialis concessionis, siue expressae siue tacitae.

§. 12.

Hinc, quoniam imperium civile, quod caret aut vno aut pluribus necessariis regalibus, nullum est, etiam intelligitur, nullum esse posse imperium plenum et minus plenum: Nam si quis hanc distributionem aequae ac illam iuris civilis, qua dominium vel plenum, vel minus plenum esse dicitur, vrgeat, is eam labare et vitio laborare sentiet. Statui posse nobis quidem videtur imperium plenum et minus plenum, aliter vero ac a plebisque: Nam vel sic, vt imperium, quod iure aliquo ex speciali populi permissione ducendo aut caret aut gaudet, insignias hoc nomine; vel sic, vt eum, qui absolute vel limitate gubernat rempublicam, plene aut minus plene imperare dicas.

§. 13.

§. 13.

Age vero, cum disputatio nostra illuc, quo maxime tendebat, peruenerit, applicemus quae de natura et vi imperii statuimus, nec non quae de limitato imperio diximus, ad Imperium Rom. Germ. eiusque formam: de qua quam varie olim disputatum, et hodie disputetur, nemo ignorat. Neque vero, quia nimis abduceremur a re proposita, omnes et singulas opiniones de S. I. R. forma persequemur, sed eam solummodo, quae monarchiam limitatam esse statuit. Sed notio Monarchiae in S. R. I. cadere non potest propterea, quod Caesar non solus imperio civili gaudet, sed una cum statibus imperii, quibus hanc ob causam recte corrigimen tribuitur. Hos enim, si quis memor sit illius loci Instrumenti P. O. *) „gaudeant sine contradictione iure suffragii in omnibus deliberationibus super negotiis imperii, praesertim ubi leges ferendae, vel interpretandae, bellum decernendum, tributa indicenda, delectus aut hospitationes militum instituendae, noua munimenta intra statum ditionis exstruenda nomine „publico,

*) Vide de Maiern Acta pacis Westphalicae.

„publico, veteraue firmanda praefidiis, nec non vbi pax
 „aut foedera facienda, aliaue eiusmodi negotia peragen-
 „da fuerint, nihil horum aut quicquam simile posthac
 „vnquam fiat, vel admittatur, nisi de comitali liberoque
 „omnium imperii statuum suffragio et consensu,, is assen-
 titur nostrae sententiae haectenus traditae, coimperare
 status.

§. 14.

At, monarchiae patroni ad defendendam Imperii
 monarchiam in medium producent fortasse notissima illa
 Imperatoris Reseruata, quae etsi non omnino pro arbitrio,
 sed accommodate capitulationi iis vti potest, tamen sine
 consensu ordinum exercet, ex quibus colligunt eun-
 dem esse monarcham. At vero cum imperium ci-
 vile non solum plura, sed etiam multo maiora iura com-
 prehendat, quorum exercendorum Ordines Imperii par-
 ticipes sint, profecto statibus imperii tribui necesse est
 coimperium. Quo accedit, quod tribuentes statibus
 coimperium non tribuamus quoad omnes et singulas
 partes imperii civilis germanici, sed quoad praecipuas
 et plurimas. Quoad reliquas enim libenter concedi-
 mus, residere in Caesare monarchiae quasdam particulas,
 quae

quae tamen si cum maioribus comparentur, vix numerum faciunt.

§. 15.

Quid? quod haec ipsa Imperatoris Reseruata pro nostra sententia pugnant. Reseruata enim, sunt quaedam iura maiestatica a caeteris seiuncta et separata. Ergo necesse est extare communia iura maiestatica, ergo etiam coimperium.

§. 16.

Et ne quis fortasse existimet, nos eorum sententiam, qui imperium R. Germanicum vnam civitatem esse negent, temere sequi: Coimperium non sic defendimus, vt singulis statibus tribuamus coimperium, sed vniuerso statuum corpori in vna ciuitate, hac quidem ratione, vt partem imperii ciuilibus Caesar solus, partem vna cum vniuerso corpore statuum habere nobis videatur. Vniuerso corpori autem, quod singulis non potest, tribui imperium, vel ex physica doctrina illustratur, secundum quam Totum viribus praestat singulis partibus. Ecce ergo, in moralibus quoque vniuersum corpus superat potestate singula membra huius corporis vniuersi.

§. 17.

§. 17.

Si quis autem ex nobis quaerat, quae sit illa forma, quam I. R. G. tribuendam esse existimemus, huic respondemus, id nobis iam propositum non esse, sed sufficere probasse, in S. R. I. corregimen locum habere, adeoque formam monarchicam illi tribui non posse. Quis enim monarchiae iungat corregimen?

§. 18.

At fortasse, inquis, monarchia corregiminis non impatiens erit adiuncto conceptu limitationis, quae SCHMAVSI quondam opinio *). His vero defensionibus monarchiae limitatae aut suum placitum relinquendum, aut laborandum, quomodo se expediant repu-

*) In compendio Iuris publ. §. 1. *Niemand läßt über das ganze S. R. Imperii L. II. c. 13. §. 1. Reich Gesetze, Ordnungen, Edicta, Mandata und dergleichen ergehen als der Kayser. Diesem kommt es nisse als iura maiestatica, Namens als ein ius maiestaticum allein zu. der gesammten Reichs allein, er ist Jedoch hat er zur Ausübung derselben der gesammten Stände Gut- aber bey Ausübung derselben an die selben der gesammten Stände ge- Beystimmung der Reichsstände ge- achten und Comitial-Einwilligung bunden. Item in L. II. Cap. 6. nöthig.*

repugnantibus, in quae incidunt, iuris publici Germaniae praeceptis.

§. 19.

Neque vero excellentiae et magnitudini, qua Caesarem tum singulis, tum vniuersis statibus imperii praestare videmus, aliquid detrahimus; manet enim Imperator tum quoad potestatem, tum quoad dignitatem membrum corporis supremum (das Oberhaupt), cum non solum singulis statibus, sed etiam vniuerso corpori potestate et honore praestet, et quibusdam regalibus, excluso statuum corpore, gaudeat, deinde eo ipso, quia vnus tantum valet, quantum vniuersi status.

§. 20.

Nunc porro an praeter imperantem, quauis in ciuitate, alius sit, qui fere par sit imperanti potestate et iure, neque sit ex numero subditorum? indagabimus. Antea vero monendum nobis videtur, nos, num quis numero subditorum eximendus ante regentis existentiam adsit, non quaesituros esse: quippe de quo, cum ante societatem civilem et imperium omnes et singuli sibi sint aequales, dubitari atque adeo quaeri non potest; sed

nunc

nunc constituto imperio praeter principem vnus alterve, qui non sit subditus, inueniatur.

§. 21.

Imperans, quod supra vidimus, praeditus est iure curandae et decernendae salutis publicae. Ergo, ne tollatur maiestas, neque simul cum maiestate salus publica euanescat, careat necesse est omnis singularis subditus potestate, salutem publicam determinandi. Alias enim non subditus, sed collega imperii futurus est. Quod si vero iunctim duo pluresue imperant, nemo amplius priuatiue tenet imperium: ergo nec cogitari potest verum imperium.

§. 22.

Quia imperans cum iussu et imperio curare et decernere potest omnia, quae ad salutem publicam ipsi conducere videantur, leges sancire potest, easdemque tum publicas h. e. quae proxime pertinent ad omnium communem salutem, tum priuatas, quae spectant singulorum et priuatorum propria commoda. Et haec quidem potestas legislatoria non pertinet solum ad leges ferendas, sed etiam easdem mutandas et abrogandas. Etenim, quia reipublicae mutato statu leges quoque mutari necesse est, vel quia maior posterioris temporis expe-

experientia legum mutationes necessarias facit, populum, qui non debet media nolle, cum finem cupiat, tribuisse imperanti quoque legum mutandarum et abrogandarum potestatem, per se satis intelligitur. Et quamvis posterior lex, salutis publicae necessitate postulante, multo durior sit priori, etiamsi posterior multas et magnas, quas reliquisset prior, auferat libertates naturales, tamen subdito, ne populus eadem simul velle et nolle videatur, permitti non potest, nouellas ridere leges. Hinc subditum non esse ipsum actionum suarum iudicem, sed imperanti arbitrium relictum intelligitur. Quid? quod ne tunc quidem, cum singas, principem tollendis mutandisque legibus non omnium communi necessitati et utilitati consulere, sed sisco potius et familiae suae prospicere, immo suarum in legibus ferendis curam libidinum habere, ne tunc quidem subditis saluo vinculo civili, negligere leges licebit. Cum enim in quavis multitudine permulti inueniantur, qui de causis publicis recte iudicare nequeant, et vel propter causarum publicarum ignorantiam, vel cupiditatum ardorem et vehementiam, etiam iustissima principis facta pro iniustis habeant, vt etiam in decretis ad suam felicitatem conducentibus iugum civile ferre recusent,

culent, frustraneae forent leges etiam scite et eleganter perlatae, et iure suo legibus iniustis haud parendi ciues abuterentur in legibus etiam iustissimis. Et si potestate sua cogendi regens sic cogeretur vti, nonne euenturum esset, vt in omni fere lege, per omnes dies et horas, nulloque temporis puncto intermisso, et ab omni fere socio resisteretur coactioni, hinc autem nasceretur perturbatio confusioque rerum omnium. Hinc intelligitur, in nulla ciuitate licere subdito legum contemptum, sed eundem principis arbitrio sic subesse, vt non solum iustas, sed etiam iniustas leges seruare teneatur. Si enim vel maxime concedere Miltono velimus veram et realem maiestatem restare apud populum, principem vero tantum personalem induere, aut si coimperare vniuersitatem largiamur, tamen non coimperant singuli, sed vniuersi. Omnes enim singuli sunt subditi, ex quo colligimus, vnum aut alterum, forsitan religionis entusiasmo percitum, si vitae insidias fruere aut imperio spoliare principem etiam turpissime regnantem audeat, reum fieri laesae maiestatis. Seditiones ergo omnes, cum a paucis initium capiant, nobis videntur suspectae, et praesumuntur iniustae.

§. 23.

Denique cogere posse regentem potestate punitiua ad seruandas leges, diximus. Hinc intelligitur subditum, ne regens hanc potestatem, frustra accepisse videatur, ipsa volente multitudine, obnoxium esse poenis imperantis. Neque hoc solum in legibus iustis, sed etiam iniustis. Alias enim propter rationes in §. antecedente allatas, verendum fuisset, ne imperanti resisteretur in omni fere lege. Ergo subditus poenis imperantis subest non quoad iustas leges solum, sed etiam iniustas *).

§. 24.

Iam vero ea, quae hucusque enumerauimus, propria subditi applicemus ad socios multitudinis et videamus, in quem cadant, num in omnes nec ne? si que in omnes,

num

*) Hinc fit, vt subditorum iura erga imperantem mere imperfecta esse dicantur. Quale enim ius est, quod quis sic habet, vt cogere non possit? Itaque sicut vniuersitas, ita quoque subditus iure optimo ab imperante exi-

gere quidem potest, vt legislatoria potestate et omni omnino iure maiestatico vtatur accommodate salutis communi, sed ipse priuatus non potest nisi imperfecto, populus autem vniuersus iure perfecto.

D

num in omnes, qua vnum corpus, an in omnes, qua singulos? Primum cogitemus de vniuersitate, et videamus de ea, num se subiecisse sit praesumenda tota quantacunque est?

§. 25.

Non puto autem vniuersitatem sibi caput eligentem se penitus abdicasse omni libertate. Etenim vniuersitas, nisi potest imperium limitare, non potest esse auctrix pactorum fundamentalium i. e. limitationum. Est autem multitudo, quippe quae praesumitur libertatis suae amica, auctrix pactorum fundamentalium. Vniuersitas igitur, quia limitationum est auctrix, hae vero, vt supra vidimus, quibusdam in causis medium, quod sequi debet imperans decreta quaestione An? definiunt, per vim pactorum fundamentalium, iam existente ciuitate, ea determinare est existimanda, quae profunt saluti communi. Ergo vniuersitas, eademque regni limitati, (subditus cum hoc non possit) inter subditos non est referenda, sed quodammodo permanet in statu naturali et aliquantula imperii societate, aut saltem, si hoc nimis durum videatur, in quadam cum populo aequalitate.

§. 26.

§. 26.

Ne scilicet contra nosmet ipsos disputare, cum corregimen vniuersitati tribuimus, adeoque omnem maiestatem principi adimere videamur, monemus nos quidem in §. 10. eum coimperare dixisse, cuius iudicium et voluntatem princeps in gubernanda republica audire debet, cui (quae est alia coimperii nota *) accedit, quod coimperans iubendo decreta sua aperire potest. Absit autem, vt populum cum potestate iubendi limitare posse imperium, modumque determinare statuamus. Nam hoc nemo dixerit, nisi principem subesse imperio populi somniet. Quemadmodum enim populus in offerendo limitato imperio, adeoque nondum constituta ciuitate, non cum potestate iubendi paciscitur: ita multo minus limitata maiestate acceptata, adeoque conuentione perfecta, iubendo declarare potest voluntatem suam. Imperans vero, cum decreta quaestione

An?

*) Neque hic nouus coimperii character sententiae nostrae de coimperio Imperii Romano-Germanici contradicit. Voluntas enim trium illorum comitialium fenatuum, etsi Caesari iubendo non aperiri potest, tamen vim iubendi habet, aequae ac Caesaris voluntas, simulatque imperatoris ordinumque consensione publicum decretum, imperiique Consultum effectum est.

An? sequitur modum in pactis fundamentalibus definitum, subditis, vt perficiatur modus, cum iussu imperat. Itaque ex illa populi potestate nihil aliud, quam aequalitas populi sequitur *)).

§. 27.

Vt autem coimperium ciuitati vniuersae adimimus, ita etiam vicissim negamus, vniuersitatem subditam principi esse. Nam si recte consideres, nunquam princeps vniuersitatem cogit, sed semper cogit singulos. Subditus scilicet absoluto imperantis arbitrio subest, quod in vniuersitate pacifcentem cum principe, et per leges fundamentales sibi iura quaedam reservantem, nullo modo cadit. Nam sic populus libertatem quaerendo sua sponte sibi constituisset feruitutem vniuersalem. Eiusmodi vero imperium non potest constitui, nisi a stultissima multitudinis et salutis suae inimicissima. Itaque vniuersitas, quoniam praesumenda est libertatis suae amica, non subest absoluto regentis arbitrio. Ergo est numero subditorum eximenda, quia tamen, vt antea vidimus, non est coimperatrix, enascitur tertium genus, nempe Aequalitatis. Sunt ergo
singuli

*) Achenwall in iuris nat. populi et coeregimen confundere part. post. §. 152. aequalitatem videtur.

singuli cives in tota vniuersitate subditi, ipsa autem vniuersitas subdita non est, sed cum principe in eadem fere Aequalitate constituta, quae inter Papam et Concilium, quae totam ecclesiam repraesentat, obtinere videtur.

§. 28.

Hinc cum multitudo se subiecisse absoluto regentis arbitrio non praesumatur, facile fluit, vt quoad leges salutis publicae noxias adeoque iniustas, se non subiecerit poenis imperantis. Populus igitur imperanti, qui arroget sibi potestatem populum cogendi ad seruandas leges cum abusu maiestatis scriptas, i. e. tyranno, resistere potest. Populus igitur etiam hac ex parte non est subditus, sed in statu naturali positus.

§. 29.

Vniuersitas ergo, quae pactis fundamentalibus sibi prospexit, quia neque subest liberrimo regentis arbitrio, neque subiecta eiusdem poenis quoad legislationem iniustam, eatenus praedita est statu naturali. In statu naturali autem quoniam iudex deficit, vi obtinentur, quae precibus frustra petebantur.

§. 30.

Sunt ergo nonnullae causae, in quibus populus liber esse censendus est ab omni principis imperio. Hae sunt

sunt causae publicae, h. e. quae pertinent ad pacta fundamentalia. Stultissima enim foret ciuitas, quae hoc etiam, vt pacta fundamentalia pro lubitu princeps mutare possit, pacto concedere velit. Multitudo igitur, cum non praesumenda sit transtulisse talem potestatem imperanti, si is sibi tamen arroget (siue cum damno, siue cum oportunitate salutis publicae) imperium et potestatem mutandorum pactorum fundamentalium, ei resistere potest. Neque vero, quod sua sponte intelligitur, licebit resistere isto modo, quo resistisse Anglos Carolo nouimus, sed ad summum adimendo imperio ciuili. Itaque multitudo publicis in causis nequaquam ab omnino arbitrio se excuisse est praesumenda: Ergo in huiusmodi publicis causis ornata est libertate vera.

§. 31.

Quoniam vero, vt in §. 20. vidimus, in omni imperio adesse subditos necesse est: sequitur, vt multitudo, non qua vnum corpus est, sed qua singulos complectitur, parere recte dicatur etiam iniustis legibus. Ergo omnes, ne vno quidem excepto, sunt subditi, nempe qua singuli; adeoque nulli priuatorum competunt iura in principem, nisi fortasse imperfecta.

§. 32.

§. 32.

Hinc ergo intelligitur cuiusuis ciuitatis vniuersitatem, respectu non habito ad singulos, qui in ista vniuersitate sunt, referendam esse in causis priuatis iisque iustis inter quasi subditos, ideoque in his gaudere quasi libertate, in publicis autem vera libertate. Denique vniuersitatem in regno limitato, praeter haec omnium ciuitatum communia, habere aliquid proprium et excellentius, ex supra tradita Imperii Romano-Germanici forma intelligitur.

§. 33.

Neque vero semper prudens populus, iure suo libertatis aut verae, aut eius, quae est similis libertati, vtetur. Prudentia enim, si ciuitatis conditio sit eiusmodi, vt multo plura, et maiora mala ab imperii mutatione, aut a bello libertatis causa suscipiendo prouentura videantur, quam ea sint, quae vel abusus imperii ciuilibus, vel arrogata potestas insolentior secum habet, suadebit, iure suo libertatis potius non vtendum, quam confugiendum esse ad extrema. Immo si difficile est omnino legum iniustitiam detegere et regnantium vitia redarguere, longe adhuc difficilior media excogitare, quibus alius forte peior mali principis successor in ordinem redigatur.

Mala

Mala ergo praestat patienter ferre necessaria, et poenas tyrannorum demandare coelesti populo, quando post mortem principes regiones illas salutabunt, vbi reges non imperant. Si que, vt supra probauimus, singuli ciues manifestum etiam tyrannum aggredientes in crimen laesae maiestatis incidunt, quia cum singulis non pactus est princeps, sed cum omnibus, etiam tunc, cum magna pars ciuitatis infurgit, semper dubium manet, an vniuersi populi voluntate id faciant. Hinc res est conscientiae dubiae, an libertatis assertoribus nos coniungere debeamus. Adde ciuitatem nihil decernere posse, nec voluntatem valide declarare, nisi per Syndicum, qui legitimatus esse debet. Licet autem parum interesse videatur, an populus in ouilia congregatus per suffragia syndicum in comitiis eligat, siue rebus ipsis et factis, nescio tamen an Syndicum dicere possimus non electum, sed assertorem libertatis publicae, negotiorum gestorem potius dixerim, (qui vnus ex populo aut etiam exterus, vicinus v. c. princeps esse potest) vbi tamen euidentis utilitas adesse debet, nec in conscientia securus erit talis publicorum negotiorum gestor, nisi certissime sciat, duas tertias populi sua facta esse probaturas. Sedent ergo firmiter tyranni

tyranni inprimis, quia si non ius, certe vis atque potentia oppressis deficit, sique non desit, videatur res tamen periculosissima, quam nemo, nisi cuius res iam penitus desperatae, in se suscipiet. Adde, origines reipublicae ut plurimum in abscondito latere, pactaque et leges fundamentales ut plurimum tantum adlubitum fingi; Habet enim omnis monarchomachorum philosophia tantum locum in electo principe, non in eo, qui iure victoriae gentem subiugavit, qui in sensu civili tyrannus dici non potest, si vel maxime tyrannice imperet.

§. 34.

Haec ergo nobis civitatis natura esse videtur, cui, ut nobis demonstrasse videmur, primum praeest aliquis, qui cum majestate imperat, deinde subditus, et populus denique, qui in causis publicis praeditus est vera, in priuatis autem quasi libertate. Hic imperanti prope par est iure et potestate. Quod autem illud genus civitatis attinet, quod imperium strictius limitavit, hoc aliquid sibi proprium habet praeter haec communia.



E

DISSER-

DISSERTATIONIS
E P I T O M E.

Origo ciuitatum duplex potissimum. *Aliae enim gentes iusto bello victae et quasi mancipatae dominio victoris, pleno eius arbitrio reguntur, cum pactis fundamentalibus nullis adstrictus sit. Aliae vero gentes, quae eligendo sibi regem aut alio pacto interueniente ei curam salutis publicae mandarunt, se omni libertate non videntur abdicasse, quibus etiam ex victis gentibus illae annumerandae, quibus in pacis foedere Autonomia aut simile quid relictum. Si sub conditione, ut salutem publicam procuret, electus suam et suae familiae utilitatem saluti populi praeferat, siue hoc vi, siue fraude instituat, hunc Tyrannum appellamus.*

His positis, nostrae disputationis summa eo potissimum redit, ut demonstrarem in principe victore, adeoque nullis pactis fundamentalibus adstricto, verissimas esse MACHIAVELLI et SALMASII doctrinas, nec verti vitio triumphatori, si suis commodis plus, quam ciuitatis saluti inuigilet. Contra vero in principe a ciuibus libera voluntate electo, & legibus fundamentalibus ligato, non quidem singulos subditos, attamen totam vniuersitatem aequali in statu, nempe naturali, cum principe versari, (§. 27.) ut si conditiones, sub quibus imperium accepit, non impleat, res ad statum naturalem reuertatur, adeoque cogi possit, ut promissis satisfaciatur, aut repeti imperium conditione data causa non secuta, non quidem ex iure manu confertum, quale natura ignorat, sed solida vi. In tali ergo regno
pactis

paſtis quaefito et legibus fundamentalibus firmato indubitataſ dicitur contrariam doctrinam, quam MILTONUS, JUNIUS BRUTUS, BUCHANANUS, HOTOMANNUS et IE-SUITAE pro populi libertate ſtabiliuerunt, vt ſcilicet reuocare mandatum poſſint, quod ſalutis publicae procurandae cauſa ipſi dederunt, etiamſi huic mandato, h. e. fundamentalibus paſtis lex commiſſoria, quam et caſſatoriam clauſulam dicunt, adiecta non fuerit. Qua quidem inter regna ſubiugata et inter ea, quae pacto ſtabilita ſunt, diſtinctione adhibita, res diuerſiſſimas amico vinculo iungimus Tyrannomachiam et Machiauellismum.

Neceſſarium tamen, vt in hac ſubtili quaefitione, ſingulos ciues probe diſtinguamus ab vniuerſis. Nam quod vniuerſitas poteſt, non poſſunt ſinguli, nec quod vniuerſitati debetur, mihi debetur ciui. Eſt enim ciuitas a ciue ſpecie, natura, indole & toto genere diuerſa, vt quemadmodum ea, quae de aceruo praedicantur, non conueniunt vni granulo (nempe granum nihil habet ſimile cum aceruo) et vt aqua ipſa quidem eſt fluida, licet minimae particulae, ex quibus conſtat, aridae ſint, non fluidae, immo potius contrariae et plane diuerſae naturae: ita ciuis & ciuitas ſint res toto genere diuerſae, ſibiſque omnino diſſimiles et contrariae. Ergo quantumuis ciuitati, quae imperium paſtis limitauit fundamentalibus, libertatem et ſtatum tribuamus, tamen ſinguli ciues tenentur etiam iniuſtiſſimis principis, vtut pacto electus et fundamentalibus legibus adſtrictus ſit, iuſſibus parere, vt non dubitem ciuitatem ſeruorum liberam multitudinem appellare. (ſ. 22.) Nec vnquam princeps vniuerſitatem, ſed ſemper
togit

cogit et punit singulos. Si ergo singuli, (quo nomine etiam singula collegia et magistratus comprehenduntur) veri et absoluti sunt subditi, inexcusabile facinus, si vnus alterue in omni ciuitate sub quocunque, etiam religionis non excepto, titulo vitæ infidias struere et principem, vtut turpissime regnantem, dolo, sica, veneno, aut etiam aperta vi imperio spoliare audeat, adeo quidem, vt etiam Neroni urbem incensuro vim inferentem priuatum laesae maiestatis reum pronuntiare, non dubitemus, nec eatenus inter regicidam et tyrannicidam differentiam statuamus. Vtilem quidem rem peregerit priuatus remex, qui Neroni clauum auferat, sed non omne utile, iustum. Ex quo fluit, seditiones omnes, cum a paucis exordium capiant, immo a singulis, valde suspectas esse et merito praesumi iniustas, vsque dum exitus contrarium docuerit. Singuli ergo ciues subditi; sed ipsa ciuitas, quae electionis libera voluntate, non armorum vi, in principis potestatem venit, subditis nequaquam accensenda. Cum itaque hanc subditorum numero eximamus, neque vero sit coimperatrix, *) tertiam in classem eam, pariter atque principem collocabimus, nempe utrosque in statum AEQVALITATIS.

In quaestione celebri, an Papa sit supra concilium vel contra? secundum haec nostra principia, concilium totam ecclesiam representans dicimus non supra Papam, sed ei aequale esse, vt, si vires

*) Sed et coimperatrix esse potest, sunt, quot sunt ciuitates, vt mixta si pacto id fuerit expressum, quale vni rerumpublicarum innumeras exemplum in S. R. I. (§. 26.) Nam formas nullus fere catalogus capit. et limitationes imperii tot fere piat.

vires non desint, ecclesiae salutis immemorem etiam deponere possit, quod collegio canonicorum non aeque licet electo in episcopo capitulationis immemori, quia communem iudicem habent pontificem maximum, adeoque non in statu naturali, ut nostra, de qua quaerimus, respublica versatur.

Licet vero, quam huc usque indicauimus, Tyrannomachorum doctrina in iure et naturali ratione firmiter sit fundata, tamen multae exceptiones enascuntur, evertentes propemodum regulam. Neque vero insolitum, aliud iuris, aliud prudentiae regulas suadere, et a iudicio discordare effectum, ut quod ratio necessarium et utile credebatur, experimento inueniatur inutile. Itaque multifaria cautione opus. Nam ut imperitiam multitudinis taceamus, quae sapienter de republica iudicare nequit, tum, quia compagem civitatis uniuersam non capit, tum propter inuidiam, aliasque animi perturbationes, ut haec inquam taceamus, tamen nisi ciuitas velit semet ipsam stultitiae accusare, recordari debet, se non Deo, sed homini rempublicam credidisse, a quo errores et humani nihil alienum. Ergo minora principis peccata patienter ferat, quia valde durum et, ut diximus, stultum esset, propter vnā alteratione aberrationem, eum priuare imperio, nec prius hoc facere debeat, quam cognita intolerabili eius tyrannide: Intolerabile autem, quale hoc quaeso? haec omnino sunt ex genere Moralium, quae sua natura lubrica et incerta sunt, ut quamcunque in partem veritas, accusari possint ac defendi, prout tempora incidunt. Inprimis vero si plura incommoda ex reipublicae mutatione,

(quae

(*quae sane res aleae quam maxime plena, metuentur, quam ea sunt, quibus nunc populus premitur, non ad extrema venit. Deinde cum secundum nostram doctrinam singuli in hac re nihil possint statuere, quo alio quaeso modo suam voluntatem declarabit universitas, nisi per syndicum? Talem autem, cum in hac periculosa causa, nunquam ciues solenniter eligant, eum, qui propter pacta neglecta solio vim infert, ad summum tanquam negotiorum gestorem considerare debemus, in quo manifesta adesse debet utilitas. Nemo ergo tale audeat, nisi certissime persuasus sit, duas saltim tertias populi suos conatus esse probaturas.*

Præterea, anne tibi satis constat, hanc, quam liberare studes, rempublicam reuera pacto fuisse stabilitam, nec iure victoriae in manus principis venisse? Ego certe, cum origines plerarumque ciuitatum in abscondito lateant, pleraque regna puto armis parta, cum praesumptiones desumantur ab eo, quod plerumque factum est. Unde fictiones philosophorum de origine ciuitatis ingeniosae quidem, nec historicae tamen sunt, nec in facto fundatae. Possunt tamen hae fictiones, aut ut rectius dicam, haec somnia quodammodo defendi exemplo et auctoritate mathematicorum, qui sumunt ex fluxu punctuali lineam, ex lineae fluxu superficiem, ex superficiei fluxu corpora orta esse. Quae, licet haud ita euenisse, probe sciant, tamen hisce fictionibus commode ad deducendas inde utiles demonstrationes videntur. Itaque nostrae, et a philosophis fictae ciuitatis origines saltim fortasse in iis valebunt, de quibus non constat, pacto, an vi? in manus imperantium venerint.

COROL-

COROLLARIUM.

An victis populis, sublato metu, rebellare liceat?

Si quis dixerit: *Vim non posse obligationes producere, cum sit quasi physica et naturalis potentia, ex qua morale vinculum non oriatur, adeoque prudentem quidem esse, qui fortiori cedit, non iniustum, cum qui vi coactus pareat, non ex officio pareat, adeoque sola pacta facere ius; nec valere argumentum, ut cum occidere liceat bello victum, ideo etiam in servitutem redigere, siquidem non prius hostem occidere debeas, quam si capere non possis vinum, quam ille quaeso aliam cantilenam his verbis repetit, nisi illam valde paradoxam, quam ex Catholicis iuris ecclesiastici doctoribus nonnulli dudum cecinerunt: pacem Westphalicam non amplius esse servandam, quoniam sit vi extorta. Cur non simpliciter dicis, victis populis, sublato metu et fracta casu quodam victoris potentia, licere quandoconque velint rebellare, nulla obstante seculorum praescriptione, quae in agere non valentibus exulat. Vim, ais, quasi physicam potentiam, quae morales actiones non pariat. Verba audio, quod animum faturet, non audio. Neque enim ferro et catenis alligatas victor gentes secum ducit, nec manus pedesque physice i. e. corporali quadam vi dirigit, sed cogit metu, qui HOBBSIO est omnium obligationum parens. Si autem tibi pacta tantopere placent, ut nullam, nisi ex his, obligationem nasci putes, ecce: ut in ludo collutores sibi invicem: grossum dabo si viceris; ita qui fortunam et libertatem proelio committunt, quid quaeso aliud loquuntur, quam: si viceris, serviam; aut in iudiciali*

vete-

veterum Germanorum duello: causa cadam, si armis vincas. Tu autem, qui *victum non diutius obligari, quam quousque vincula durent, his autem ruptis jus esse ad libertatem proflire* asseris, eo ipso fateare necesse est, mihi, si cum Sempronio contraxerim, deinde facti me poeniteat, licere ei dicere: „Fateor quidem me contraxisse, sed diutius mihi non videor obligatus, quam hoc pactum mihi vtile. Ergo nunc cessare obligationem, quoniam qui pactum seruet sibi haud profuturum, beneficium praestet, non naturale debitum.“ Pulchra, si diis placet, philosophia. Nobis potius etiam armis extorta voluntas libera videtur. Habebat enim coactus electionem. Poterat mori. Non prodet vir honestus latronem, si sub conditione silentii sibi vitam ab eo stipulatus sit. Cum ergo vix ullam norim, quae non inuita sit, obligationem, sequitur, etiam cogenti fidem seruandam esse et impio. Non ergo victis populis, sublato metu, rebellare licet.



Leipzig, Diss., 1775 A17

ULB Halle

003 719 030


3



SB

AD 18





10721

DISSERTATIONEM POLITICAM 42.
QVA 177540.
MONARCHOMACHI
ET
MACHIAVELLVS
IN CONCORDIAM ADDVCVNTVR

P R A E S I D E

D. CAROLO FERDIN. HOMMELIO
DOMINO ZWENAVNDORFII, GROSCHEPÆ ET QVESITII
SERENISS. ELECT. SAX. AVLAE IN REBUS IVSTITIAE CONSILIARIO
ECCLESIAE CATHEDRALIS MARTISBURG. CAPITVLARI CVRIAE IN
PROVINCIA SVPREMAE ASSESSORE DECRETAL. P. P. COLLEGII
IVRISCONSVLTORVM ORDINARIO ET DECANO PERPETVO
ACADEMIAE LIPSIENSIS CONSILIARIO ET DECEMVIRO

DIE XI. IANVARIII MDCCLXXV.

IN AVDITORIO PETRINO

DEFENDET AVCTOR

IOANNES CAROLVS BENNELLE
L I P S I E N S I S .

LIPSIÆ

EX OFFICINA BREITKOPFIA.